Q. D. B.

A D

PANEGYRIN AC

QVA

VIRO MAXIME RE

SVMMOS IN THEOLO

CAPESSE

LICEN

MORE SOLEMNI CO

IN AVDITORIO MAIORIS PR

DIE VI NOVEMBRIS A

CELEBRAN

ORDINIS THEOLOGIC

INVITA

PROCANCEL

CHRISTIANVS F

BOERNE

S. T. D. ET PROF. PRIMARI

MISEN. CANONICVS CONSIS

ASSESSOR

D. B. V.

A D

ACADEMICAM

QVA

IME REVERENDO

EOLOGIA HONORES

ESSENDI

ENTIA

MNI CONFERETVR

ORIS PRINCIPVM COLLEGII

BRIS A. CIↃIↃCCXLIX

BRANDAM

OLOGICI FAVTORES

VITAT

CELLARIVS

VS FRIDERICVS

RNERVS

RIMARIVS ECCL. CATHEDR.

S CONSISTORIIQVE REGII

SSESSOR





Orthodoxae verbi diuini doctrinae ſeruandae ſerium et conſtans ſtudium in eccleſiae euangelicae doctoribus cum maxime requiri, tam confeſſa, tamque manifeſta res eſt, vt demonſtratio eius fruſtra ſuſcipi videatur. Nihilo tamen minus, operae pretium me facturum eſſe, arbitror, ſi de neceſſario hoc eccleſiae doctorum requiſito, apoſtoli ductu, paucis expoſuerim. PAVLVS nimirum, in epiſtola ad TITVM, *capite primo*, *διαταγὴν*, quam, de presbyterorum in eccleſia Cretenſi conſtitutione, cariſſimo huic filio ſuo, et in officio, diuinitus ſibi demandato, adiutori tradiderat, repetens, enarratis iis, quibus, quoad vitam moresque, epiſcopum praeditum, ornatumque eſſe oporteat, virtutibus, *commate nono*, addit, oportere eundem eſſe *ἀντεχόμενον τοῦ κατὰ τὴν διδαχὴν πιστοῦ λόγου, ἵνα δυνατὸς ᾖ καὶ παρακαλεῖν ἐν τῇ διδασκαλίᾳ τῇ ὑγιαινούσῃ, καὶ τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν· te-*

nacem fidi doctrinae verbi, vt et ſana doctrina exhortandi, et contradicentes redarguendi gaudeat facultate.

Id, cui firmiter inhaerere debet epiſcopus, τὸν κατὰ τὴν διδαχὴν πιςὸν λόγον apoſtolus vocat, eaque appellatione, fidei morumque doctrinam in ſe continentem, ſcripturam ſacram deſignat, quippe quae eſt πιςὸς λόγος, cui ſumma debetur fides, cum Deum, τὸν ἀψευδῆ, habeat auctorem. Hinc et συνωνύμως, βέβαιος, *firmus*, 2 *Pet. I, 19*, ſignificantiorique nomine, ἀλήθεια, *veritas*, dicitur, *Ioh. XVII, 17.* Atque ad hanc verbi diuini doctrinam adhaereſcendum eſt eccleſiae doctori, quippe quem oportet eſſe ἀντεχόμενον, id eſt, AMBROSIO interprete,*) *tenacem* fidelis, ſeu fide digniſſimi, certiſſimique doctrinae verbi. Τὸ ΑΝΤΕΧΕΣΘΑΙ, quo apoſtolus vtitur verbo, cum gignendi caſu iunctum, in ſacris noui foederis libris, et apud τοὺς ὁ pariter, atque τοὺς ἔξω, cum *opitulandi, curandi, tuendi*, tum *amplectendi, tenaciter adhaerendi*, habet ſignificatum. Priore modo verbum id exponit HESYCHIVS:**) ΑΝΤΕΧΕΤΑΙ· ἀντιλαμβάνεται, Φροντίζει, περιποιεῖται. Opem, auxiliumue ferendi notionem τῷ ἀνθέξεται, in Seruatoris dicto; *Matth. VI, 24,*

*) *Opp. edit. Pariſ. a. MDCLXI, tom. III, p. 602.*

**) *Lexic. t. I. p. 395, edit. nouiſſ. viri celeberrimi,* IO. ALBERTI.

24, et *Luc. XVI, 13*, attribuit TERTVLLIANVS, *) suffragante ei IO. CASP. SVICERO, **) qui, illud ipsum Christi dictum HESYCHIVM ante oculos habuisse, censet, vbi is paullo ante ΑΝΘΕΞΕΤΑΙ per *τὸ ἀντιλήψεται* interpretatur. At enimuero *adhaerendi* potius verbo illi, in locis citatis, adiudicanda esse videtur significatio; veroque similius est, HESYCHIVM, vel ad *Prou. IIII, 6*, vel ad *Iob. XXXIII, 24*, quibus in locis LXX interpretes *ἀνθέξεται* eo sensu vsurparunt, respexisse. ***) *Opitulandi* autem potestatem vere verbum istud habet, *1 Thess. V, 14*: *ἀντέχεσθε τῶν ἀσθενῶν, opem ferte infirmis.*

Nostro in loco verbum *ἀντέχεσθαι* in altera, quam indicauimus, significatione, ad serium et pertinax, quod coelestis verbi diuini doctrina deposcit, studium denotandum, adhiberi, pro certo habemus. Hanc vocis illius acceptionem, qua, *firmiter amplecti*, et *constanter retinere*, significat, non etymologia solum, sed cum maxime vsus in Graeca V. T. quae LXXuiralis dici solet, versione confirmat; siquidem in ea *ἀντέχε-*

 σθαι

*) *Aduersus* MARCIONEM, *lib. IV, c. 33, p. 448, edit. Paris. a. MDCLXXV.*

**) *Thes. eccles. tom. I, p. 371.*

***) Est haec viri maxime reu. doctissimique, IO. CHRISTIANI BIEL, coniectura, quam iudicio suo comprobat, et KVSTERO, idem cum SVICERO sentienti, opponit Cl. ALBERTI, in *notis ad* HESYCH. *p. 378.*

σθαι Hebraeo respondet החזיק, quod *apprehendere, firmiterque retinere*, notat. Ita *Iesa. LVI, 2, 4, 6*, foedus Dei religiose firmiterque seruantes, in textu Hebraeo: מחזיקים בבריתי, in Graeca interpretatione: *ἀντεχόμενοι τῆς διαθήκης αὐτοῦ*, dicuntur. Add. *Prou. III, 18.* *) Eodem sensu patres Graeci, CHRYSOSTOMVS, BASILIVS MAGNVS, ISIDORVS PELVSIOTA, illa vtuntur voce, quippe quibus *ἀντέχεσθαι τῆς ἀρετῆς, τῆς εὐσεβείας*, idem est, ac virtutem, pietatem arctissime amplecti, et his constanter adhaerere. **) Sed et *οἱ ἔξω* phrasin *ἀντέχεσθαί τινος* ita vsurparunt. Compluribus, quae in priscorum Graeciae scriptorum libris occurrunt, exemplis testatum id reddi potest. POLYBIVM, cuius stilus ad noui foederis dictionem proxime accedit, adducere, iuuat, qui saepenumero de eo, quod studiosissime quis sectatur, et cui tenaciter adhaeret, illa vsus est, eumque maxime significatum in *τῷ ἀντέχεσθαι τῆς ἀληθείας*, expressit. ***)

Haec-

*) Conf. B. D. IO. BENED. CARPZOVII, *de ὀρθοδοξίᾳ et ὀρθοτομίᾳ, in ecclesiae ministro, Tit. I, 9, requisita*, dissertatio, in cuius *cap. I, §. 6*, plures referuntur voces Hebraeae, quibus *ἀντέχεσθαι* apud *τοὺς ό* respondet; indeque verbi huius, ab apostolo adhibiti, emphasis declaratur.

*) Patrum, quos nominamus, loci a SVICERO in *thes. eccl. l. c.* exhibentur.

**) POLYBIVS, *histor. lib. XII, edit.* IAC. GRONOVII, *tom.*

Haecque adeo verbi ἀντέχεσθαι est significatio, quam sententiae apostoli optime conuenire, arbitramur, vbi episcopum is esse oportere ait ἀντεχόμενον τοῦ κατὰ τὴν διδαχὴν πιστοῦ λόγου. Vulgatus interpres, qui ΑΝΤΕΧΟΜΕΝΟΝ reddidit *amplectentem*, *) verbum *amplecti* eo posuisse videtur sensu, quo id, quod amplectimur, summo studio tenemus, et seruamus. Nec aliter accipiendum est verbum κρατεῖν apud HESYCHIVM, vbi ἀνθέξομαι exponitur per κρατῶ. CHRYSOSTOMVS **) quidem, et, qui eum describere solet, THEOPHYLACTVS, ***) ad curam et operam, quam in verbi diuini doctrinam episcopus dare debeat, apostoli referunt verba, et ἀντεχόμενον interpretantur: Φροντίζοντα, ἔργον τοῦτο ποιούμενον, *solicite curantem, hoc facientem*

tom. II, p. 916, hac phrasi tenax veritatis in historia studium eloquitur. Indicauit locum hunc GE. RAPHELIVS, in *annotat. philol. in N. T. ex* POLYBIO et ARRIANO *collectis, p. 627*. Plures idem, *l. c. p. 48*, ex POLYBIO affert locos. Silentio praetermittendus haud est insignis maxime locus in XENOPHONTIS *de Cyri institut. lib. II, edit. Oxon.* THOMAE HVTCHINSON, *p. 143*: οἱ ἀγαθοὶ, τοὺς κακοὺς ἰδόντες ἀτιμασθέντας, πολὺ εὐθυμότερον ΤΗΣ ΑΡΕΤΗΣ ΑΝΘΕΞΟΝΤΑΙ.

*) Sic etiam versio interlinearis in codice meo MS. epistolarum PAVLI Graeco Latino.

**) *In epist. ad Tit. cap. I, homil. II, Operum edit.* BERN. DE MONTFAVCON, *tom. XI, p. 739*.

***) *Commentar. in epistolas* PAVLI *ad h. l. edit. Lond. p. 845*.

tem opus. Sed haec illorum interpretatio non plane conuenit sententiae PAVLI, quam, vt supra notauimus, omnium optime reddidit AMBROSIVS, qui ἀντεχόμενον vertit *tenacem*; quo etiam Germanica B. LVTHERI versio spectat: *der HALTE OB dem worte, das gewiss ist*, et rel.

Tenacis huius, quam apostolus in episcopo requirit, adhaesionis ratio curatius nunc est edisserenda. Supponitur per illam ipsam vera et solida coelestis, quoad credenda et agenda, cognitio. Nam cum sanae doctrinae firmiter inhaerere oporteat ecclesiae doctorem, necesse est, vt is probe cognitam eam habeat atque perspectam, et perfecte planeque illa sit eruditus. Sana vero doctrina cum ea sit, quam sacra tradit scriptura, ὁ κατὰ τὴν διδαχὴν πιςὸς videlicet λόγος, ex hac adeo vera illius notitia est comparanda. Fidei et religionis christianae cognoscendae vnicum omnino, et certissimum principium sunt, ac de omnibus ad salutem cognitu necessariis plenissime nos instruunt veteris et noui testamenti libri, immediato Spiritus sancti impulsu, afflatuque, a prophetis et apostolis scripti: vnica et certissima iidem regula sunt atque norma, ad quam omnia dogmata exigere, et secundum quam de omnibus tum doctrinis, tum doctoribus iudicare oportet. *) Sacris litteris symbolicos ecclesiae euange-

licae

*) Vid. *Formula Concordiae, epit. p. 570, declarat. p. 632.*

licae ſubiungimus libros, vtpote qui compendiariam ſanae verbi diuini doctrinae, beati LVTHERI maxime ſtudio atque opera reparatae, *ὑποτύπωσιν* exhibent, et formam: quique eum in finem compoſiti, et publica recepti ſunt auctoritate, vt ad illos ipſos omnis in eccleſiis, ſcholiſque euangelicis doctrinae ratio conformetur, et, quicquid contrarium eis fuerit, tanquam id, quod cum vnanimi fidei noſtrae declaratione pugnet, reiiciatur.*) Quam ob rem etiam libris noſtris ſymbolicis normae nomen tribuitur, officiumque, non, quod ipſius fidei doctrinae principium illi ſint atque norma, haec enim ſola eſt ſcriptura ſacra, ſed quia ſinceram eccleſiarum euangelicarum, quae ſacrarum litterarum fundamento nititur, doctrinam complectuntur, hocque adeo intuitu, *de fide noſtra confeſſionis*, ſeu *fidei profeſſionis* conſtituunt *normam.* **) Vnde adeo facile intelligitur, ab eccleſiae euangelicae doctore cum maxime etiam requiri, vt in libris noſtris euangelicis probe ſit verſatus, doctrinaeque, quae iisdem continetur, et ad quam tradendam ſacramento eſt obſtrictus, exploratam habeat veritatem.

Iamque *τὸ ἀντέχεσθαι τοῦ κατὰ τὴν διδαχὴν πιςοῦ λόγου* in eo conſiſtit, vt orthodoxae doctri-

 nae

*) *F. C. p. 572, et p. 635.*

**) Vid. b. IOH. BENED. CARPZOVIVS, in *iſagoge ad libros ſymbolicos, p. 1143, et ſeqq.* VAL. ALBERTI, in *Aug. Conf. thetice et apologetice pertractata, p. 8;* et caet.

nae praeditus cognitione, ex animo ei adhaereat, nec latum vnguem ab illa discedat, nullaue, quae demum cunque fuerit, ratione a coelestis veritatis professione dimoueri se patiatur. Ita sanae verbi diuini doctrinae deditum esse oportet ecclesiae doctorem, pastoremque, vt non solum gregem, cuius pascendi cura ipsi agenda est, summa fide, summoque studio, ad illam instituat, sed etiam, omnes, quotquot hoc illoue modo ei contradicunt, redarguat, et erroris conuincat. Hunc ἀντιθέξεως episcopi finem, modumue apostolus indicat, vbi, verae fidei ac morum, quae in certissimo Dei verbo traditur, doctrinae tenacem eum esse, iubens, addit: ἵνα δυνατὸς ᾖ καὶ παρακαλεῖν ἐν τῇ διδασκαλίᾳ τῇ ὑγιαινούσῃ, καὶ τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν· *vt et sana doctrina exhortari, et contradicentes conuincere possit*, seu, potens aptusue sit ad id faciendum.

Duplex his verbis, ex tenaci, quo verbi diuini doctrinae episcopo adhaerescendum est, studio, eiusdem officium apostolus deducit. Alterum est τὸ ΠΑΡΑΚΑΛΕΙΝ ἐν τῇ διδασκαλίᾳ τῇ ὑγιαινούσῃ. Verbum παρακαλεῖν, quod πολύσημον est, et iam *rogare*, iam *hortari*, iam *consolari* significat, indeque diuerso ab interpretibus redditur modo, latiore hic omnino vsurpari videtur significatu, ita vt pro obiecto habeat credenda, agenda, speranda, et tum institutionem in fide ac moribus, tum adhortationem ad pietatem, tum denique

nique consolationem in aduersis, notione sua complectatur. *) Ad haec enim *ὠφέλιμος utilis* est, et ecclesiae doctoribus atque ministris *δύναμιν*, seu debitam *ἱκανότητα* confert sacrarum litterarum doctrina: **) quam apostolus, vt saepe alias, ***) eleganti metaphora, *τὴν διδασκαλίαν, τὴν ὑγιαίνουσαν*, *sanam*, siue *salutarem* vocat doctrinam, quia, in se spectata, nullis errorum caret morbis, tum vero, quoad effectum, veram animis hominum affert sanitatem.

Alterum, quo tenax orthodoxae doctrinae studium declaratur, episcopi officium est, *τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν*, *redarguere contradicentes*. Per *τοὺς ἀντιλέγοντας* speciatim gnosticos, qui errores suos in ecclesiam christianam iis temporibus inuehere instituerint, ab apostolo indigitari, GROTIVS, HAMMONDVS, VITRINGA opinantur. Nos, ingenium ipsorum redolentem, coniecturam hancce non moramur. *Τῶν ἀντιλεγόντων* nomine designantur omnes, quotquot ea docent, quae sanae verbi diuini doctrinae aduersantur, et eiusmodi maxime fouent errores, quibus funda-

 men-

*) Verbum *παρακαλεῖν* latiore quoque significatu occurrit *Luc. III, 18; Act. XV, 32; XX, 2.*

**) Vid. 2 *Tim. III, 16, 17.*

***) *1 Tim. I, 10; 2 Tim. IIII, 3; Tit. II, 1.* Conf. *1 Tim. VI, 3; 2 Tim. I, 13.* Metaphoricum vocis significatum ex LVCIANO et PLVTARCHO, qui *sanum* cum *vero* coniunxerunt, illustrat LAMB. BOS, in *exercitat. philol. in N. F. p. 230.* Add. IO. ALBERTI, in *obseruat. philol. in N. F. p. 409.*

mentales christianae religionis articuli peruertuntur. His igitur, siue externi, siue interni et domestici fuerint aduersarii, grauiter resistere, erroresque ipsorum manifestare, et solidis argumentis refellere, orthodoxi episcopi officii ratio deposcit. Ea nimirum verbi ΕΛΕΓΧΕΙΝ est significatio, vt eiusmodi proprie notet animaduersionem, qua errores argumentis conuincuntur et coarguuntur. Neque vero de doctrinali solum, sed de morali etiam verbum id in noui foederis libris vsurpatur elencho,*) quem alias *ἐπανορθώσεως* vocabulo apostolus expressit,**) quique in correctione illorum consistit, qui vita moribusque prauis *τῇ κατ' εὐσέβειαν διδασκαλίᾳ* contradicunt, seu aduersantur. Vterque elenchus cum ad officium spectet episcopi, de hoc, illoque *τὸ ἐλέγχειν τοὺς ἀντιλέγοντας* hic accipiendum est, id quod sequentia apostoli verba prorsus confirmant.

Iamque tales omnes omnino esse oportet episcopos, tenaces videlicet orthodoxae verbi diuini doctrinae, idoneosque et aptos, cum ad sanam, curae ipsorum concreditis, coetibus sacris tradendam doctrinam, tum ad redarguendos conuincendosque veritati coelesti contradicentes. Gratulamur igitur ecclesiis nostris euangelicis de huiusmodi episcopis et doctoribus, (et

vtinam

*) *Matth. XIIX, 15. Luc. III, 19; 1 Tim. V, 20.*

**) *2 Tim. III, 10.*

vtinam omnes tales essent!) qui sanam atque salutarem, quae sacris litteris traditur, et ex illis repetita in libris nostris symbolicis exhibetur, doctrinam non ore tantum profitentur, sed etiam toto animo eidem sunt addicti; qui ad eandem omnes officii sui rationes summo studio componunt; qui mente corruptorum hominum, religionem quaestui habentium, et pietatis specie plures decipientium, βεβήλους κενοφωνίας et absurdissima commenta haudquaquam obtegunt non, euangelicae veritatis dispendio, aduersariis adulantur, sed grauiter illam tuentur, oppositosque ei errores quosuis debito reprehendunt modo, ac firmis rationibus conuellunt. Gratulamur maxime ecclesiis nostris Saxonicis de summi theologi, qui fere fuit ἀντεχόμενος τοῦ κατὰ τὴν διδαχὴν πιςοῦ λόγου, δυνατὸς καὶ παρακαλεῖν ἐν τῇ διδασκαλίᾳ τῇ ὑγιαινούσῃ, καὶ τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν; LOESCHERI videlicet, beata nobis erepti morte, dignissimo successore. Est is Vir summe reuerendus, amplissimus, doctissimusque,

D O M I N V S
M. IO. IOACHIMVS GOTTLOB
AM ENDE,
S. THEOLOGIAE BACCALAVREVS,
PASTOR ADHVC ET SVPERINTENDENS FRIBVRGENSIS, IAMQVE DESIGNATVS PASTOR, SVPERINTENDENS, ET CONSISTORIALIS DRESDENSIS.

Vt de vitae ipsius cursu paucis exponam, natus est Graeffenhaynichenae, circuli Saxoniae ele-

ctoralis prope Vitembergam oppido, anno saeculi huius quarto: patre *M. Io. Christiano*, qui diaconi officio, quinquaginta fere annos, ibidem praefuit, matre *Anna Dorothea Richteria*, Lastauiensis ecclesiae pastoris filia. Artibus iis, quibus aetas puerilis ad humanitatem informari solet, cum in ludo patrio, tum ab ipso maxime patre institutus, in prouincialem, quae Grimmae est, scholam venit, clarissimorumque in ea magistrorum sese tradidit disciplinae. Exacto ibi quinquennio, Vitembergensem adiit academiam, ciuiumque illius numero, rectore, *Io. Henrico Bergero*, ICto, adscriptus, Hebraearum litterarum ac philologiae sacrae pariter, atque philosophiae studiis primum operam dedit. In philosophia addiscenda, praeter caeteros sectatus est *Hollmannum*, et, qui Anglicae linguae ipsum etiam imbuit cognitione, *Hassenium*; physicas item et anatomicas vtriusque *Vateri* scholas frequentauit. Historiam et elegantiores litteras ei tradidit summus harum doctor et vindex, cuius excellente doctrina mihi quoque frui olim licuisse, cum voluptate recordor, quemque Deus sospitet, illustris *Bergerus*. Ad theologiam postquam animum appulit, in scholis praestantissimorum academiae theologorum, *Wernsdorffii*, *Chladenii*, *Schroeeri*, *Iani*, *Haferungii*, quibus assiduus interfuit, solidam eius, quoad omnes et singulas partes, scientiam sibi comparauit. Bis disputauit publice: primum,

de

de tertia, quae fingitur, hominis parte, praeside *Dathio*, ordinis philosophici adiuncto: deinde, *de oratore, ex animi corporisque notitia informato*, sub moderamine laudati praeceptoris, eiusdemque hospitis sui beneuolentissimi, illustris *Bergeri*, a quo etiam philosophiae et bonarum artium magistri accepit dignitatem. Academiae vt studium operamque suam dicaret, cum plures ipsum cohortarentur, obstitit in patrem, senectute confectum, pietas: qua permotus, nono et vicesimo supra millesimum et septingesimum anno, in administrando diaconatu, socium ei, et adiutorem dari se, passus est: eoque in officio, patri, non ita multo post beate mortuo, suffectus, illo ipso per tredecim functus est annos. Hinc, sequente tertio et quadragesimo anno, praeter omnem opinionem suam, optataque, in Portam vocatus, vt nutui diuino ac Regiae morem gereret voluntati, clementissime demandatum sibi pastoris in ea, collegae, et inspectoris suscepit munus, idque ad annum vsque superiorem gessit, quo Friburgensis ecclesiae pastor, et dioeceseos illius Superintendens Regia constitutus est auctoritate. Iamque Dei accidit numine, vt, sacra ab ipso nuper, Regio iussu, Dresdae habita oratione, beati Loescheri, in grauissimis, quae incredibili studio, maximaque dexteritate ille obiit, muneribus, successor fuerit designatus.

Summis proinde in theologia honoribus cum ornandus sit Vir maxime reuerendus, hos ille in academia

mia Lipſienſi, ab ordine n
fauore, conferri ſibi voluit
ſtrarum praeſcripto, eo no
gie prorſus praeſtitit, pere
hibuit diſſertationem theo
gyri academica defendet.
ximo die ſexto Nouembri
dianis, in qua, diſputatione
cellarii munus obeundum
gradum capeſſendi faculta
vocant, ritu ipſi dabo ſole
tur hancce frequentandam
DEMIAE RECTOREM, C
SIMOS, VTRIVSQVE RE
RES, GENEROSISSIMOS
ACADEMIAE CIVES, et
tores omnes, ea, qua par e
nitate inuito. P. P. Lipſia
A. R. S. CIↃ IↃCCXLIX.

L I P S
EX OFFICINA LA



rdine noſtro, pro ſuo erga eum
i voluit; quaeque, ex legum no-
, eo nomine requiruntur, egre-
it, pereruditam etiam nobis ex-
em theologicam, quam in pane-
fendet. Celebrabitur ea pro-
uembris, D. v. horis antemeri-
itatione finita, ego, cui *Procan-*
undum eſt, doctoris theologi
facultatem, *Licentiam* quam
bo ſolemni. Ad panegyrin igi-
tandam, MAGNIFICVM ACA-
REM, COMITES ILLVSTRIS-
VE REIPVBLICAE PROCE-
SIMOS NOBILISSIMOSQVE
ES, et ordinis theologici fau-
a par eſt, obſeruantia et huma-
P. Lipſiae, Dom. XXII. p. Trinit.
XLIX.

PSIAE
INA LANGENHEMIA.

